

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Voluntas e cum fonte primo

Quia Deus

cor querit, cor inspicit, intus testis est, iudex, approbator, adiutor, coronator; sufficit ut offeras uoluntatem. Cum potes, ore confitere ad salutem; cum autem non potes, corde crede ad iustitiam; corde laudas, corde benedicis, corde in ara consciencie uictimas sacras imponis; et respondetur tibi: Pax in terra hominibus bone uoluntatis.

Augustinus super Psalmum CXXXIII.

Si enim Deus aures carnales haberet, et sono tui corporis indigeret, ideo cum remansisses sine lingua, sine laude etiam remaneres; nunc uero qui cor quaerit, cor inspicit, intus testis est, iudex, adprobator, adiutor, coronator; sufficit ut offeras uoluntatem. Cum potes, ore confiteris ad salutem; cum autem non potes, corde credis ad iustitiam: corde laudas, corde benedicis, corde in aram conscientiae uictimas sacras imponis; et respondetur tibi: Pax in terra hominibus bonae uoluntatis (Luc. 2:14).

Augustinus Hipponensis, *Ennarationes in Psalmos*, 134, 11 (CCSL 40, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.1946, ll.33-41).